Constitutiones Synodales

AB ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO D. D.

MARIO BESSON

EPISCOPO LAUSANNENSI AC GENEVENSI

EDITAE



FRIBURGI HELVETIORUM

TYPIS S. PAULI

1923



MARIUS BESSON

DEI ET S. SEDIS APOSTOLICAE GRATIA

EPISCOPUS LAUSANNENSIS ET GENEVENSIS

Universo Clero Dioecesis Nostrae

Salutem et Benedictionem in Christo Iesu

Ecce prodeunt novae Constitutiones synodales dioecesis Lausannensis et Genevensis.

Sancta Mater ecclesia, cui competit universum orbem quaecumque mandaverit Magister docere, summo studio iam antiquis temporibus leges generales praescripsit, spirituali fidelium bono perutiles. Illi autem quos, mirabili quadam dignatione, Spiritus Sanctus posuit episcopos, dioecesibus suis statuta particularia proponere consueverunt, quibus tam ovium quam pastorum illuminarentur oculi, ne unquam obdormirent in morte, sed in viam rectam deducerentur.

A praedecessoribus Nostris editas esse Constitutiones, decursuque temporum saepius renovatas, nemo est qui nesciat[1]. *Quas leges non venimus solvere sed*

[1] Constitutionum Dioecesis Lausannensis antiquissimum exemplar, saeculo XIII° non posterius, existebat, cuius fragmentum in *Memorial de Fribourg*, t. II, p. 176, D. Johannes Gremaud edidit. Primus, quantum nobis compertum est, **Georgius de Saluciis,** episcopus Lausannensis, praedecessorum suorum statuta collegit, recognovit, et in omnibus ecclesiis paroecialibus deponendum curavit. Quod opus, Aymonis de Montefalcone studio renovatum, typis mandatum est, hoc sub titulo : *Incipiunt Constitutiones synodales ecclesie et episcopatus Lausannensis edite, et per reverendum in Cristo (sic) patrem dominum Georgium de Saluciis episcopum et comitem Lausannensis (sic) compilate et in unum volumen redacte et demum per reverendissimum in Cristo patrem et dominum Dominum* **Aymonem de Montefalcone,** *Dei gratia presulem, principem et comitem Lausannensem modernum confirmate et approbate ac de eius mandato impresse.* Hanc primam editionem, anno 1494 Lugduni praelo subiectam, Sebastianus de Montefalcone, anno 1523, adiectis novis articulis, Genevae iterum typis mandari iussit : *Constitutiones synodales ecclesie et episcopatus Lausannensis per plures et diversos presules edite et per reverendissimum in Cristo patrem et dominum* **Sebastianum de Montefalcone,** *Dei gratia episcopum et principem Lausannensem modernum confirmate et approbate, ac de eius mandato impresse anno salutis nostre 1523, Gebenne.* Occasione synodi, anno 1579 Friburgi habitae, **Johannes Bonomius,** nuntius apostolicus, novas constitutiones composuit, quae tamen statim, manuscriptae, deperditae sunt, ita ut ipse Friburgensibus scripserit : « *Non mirari non possum tam facile huius modi monimenta apud vos excidere et perire* »..... Interea Sebastianus Werro novam collectionem parabat quae breve post tempus publici iuris facta est : *Statuta synodalia Dioecesis Lausannensis, anno 1599, promulgabat* **Sebastianus Werronius** *sacrae Theologiae Doctor, ecclesiae Friburgensis Praepositus et sede vacante Vicarius Generalis. Friburgi in Helvetia, ex officina typographica Magistri Wilhelmi Maess. 1599.* (Haec statuta reedita sunt « in officina typographica Rotundimontana » anno 1864.) Constitutionum synodalium ecclesiae Lausannensis plures compilationes praelo postea subiectae sunt : *Statuta synodalia edita ab illustrissimo et reverendissimo Domino* **Ioanne de Watteville,** *episcopo Lausannense, Vesontione, 1625.* — *Decreta et constitutiones synodales ecclesiae et episcopatus Lausannensis per diversos praesules editae et recenter per illustrissimum et reverendissimum in Christo patrem et dominum* **F. Iohannem Baptistam de Strambino** *ex Comitibus sancti Martini,*

adimplere potius et confirmare, idque unum intendimus ut statuta dioecesis, consulente synodo, ad Codicem iuris canonici Benedicti Papae XV auctoritate promulgatum componerentur, paucis tantum additis praeceptis, quae viris prudentibus, pro regionum nostrarum opportunitate, visa sunt necessaria.

Confidimus, Fratres dilectissimi, fore ut hae constitutiones, quas brevi simplicique textu, communicatis

Dei et apostolicae sedis gratia episcopum et Comitem Lausannensem, Sacrique R. I. principem confirmatae et approbatae, Friburgi Helv. ex typis Davidis Irrbisch, anno 1665. — Decreta et Constitutiones synodales ecclesiae et episcopatus Lausannensis, iussu illustrissimi et reverendissimi domini **Maximi Guisolan,** *ordinis Capucinorum, Dei et apostolicae sedis gratia episcopi ac Comitis Lausannensis, sacrique R. J. principis. Friburgi Helv., typis B. L. Piller, 1812. — Statuta dioecesana seu Constitutiones synodales ab illustrissimo ac reverendissimo D. D.* **Caspare Mermillod,** *episcopo Lausannensi ac Gebennensi, edita Friburgi Helv. typis S. Pauli, 1885.*

Ecclesiae Genevensis constitutionum exemplar perantiquum videre est Friburgi, in bibliotheca Fratrum Minorum Capucinorum, quod sic incipit : *Anno Domini 1480, die vero quindecima mensis iunii presentes constitutiones synodales in sancta Synodo edite in ecclesia Gebennensi fuerunt impresse per egregium virum Ludovicum Cruse civem Gebennensem, de mandato atque expressa licencia illustris et reverendissimi domini nostri* **Johannis Ludovici de Sabaudia,** *sancte sedis apostolice prothonotarii ac ecclesie et episcopatus Gebennensis in spiritualibus et temporalibus administratoris perpetui.* **Sancti Francisci Salesii** constitutiones et instructiones synodales temporibus adaptatae, saepe saepius reeditae sunt. Fas sit, exempli gratia, statuta Johannis Petri Biord, memoriae revocare : *Constitutions et instructions synodales de saint François de Sales, évêque et prince de Genève, mises en ordre et augmentées par Monseigneur* **Jean d'Arenthon d'Alex** *et nouvellement par Monseigneur* **Jean Pierre Biord,** *ses successeurs dans le même évêché. Anneci, de l'imprimerie de J. B. Burdet, 1773.* Constituto vicariatu apostolico, nova statuta apparuerunt : *Statuta vicariatus apostolici Gebennensis a reverendissimo ac celsissimo D.* **Caspari Mermillod,** *ep. Hebron., vicario apostolico Gebennensi, concinnata et edicta. Barri Ducis, ex typis S. Pauli, 1881.*

vobiscum consiliis, edidimus, reverenter et libenter a vobis accipiantur. Fere nihil novi moribus vestris inducent, nihil in agendi ratione mutabunt, quippe quae statuunt iam apud vos generatim usu recepta sint et exercitatione quotidiana consueta. Ceterum, vobis Episcopus vester obedientiam equidem praecipit, at paterna potius dilectione suadet : multam fiduciam habens in Christo Iesu vobis imperandi, propter charitatem magis obsecrat.

Nunc vero, Fratres dilectissimi, charitate Christi nos omnes urgente, quae simul est perfectionis vinculum et plenitudo legis, unanimo concordique labore conemur sanctas ecclesiasticae disciplinae regulas ad amussim servare, sanctificantes nosmetipsos ut et alii multi sint in veritate sanctificati.

Et pax Dei, quae exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra et intelligentias vestras in Christo Iesu.

Datum Friburgi Helvetiorum
in Synodo dioecesana,
die 12 Aprilis 1923.

† *Marius BESSON,*
Episcopus Lausannensis et Genevensis.

CONSTITUTIONES SYNODALES
Dioecesis Lausannensis et Genevensis

Liber Primus : Normae Generales

Canones Iuris 1-86

ART. 1.

Hae constitutiones synodales, utpote dioecesi Lausannensi et Genevensi particulares, nihil decernunt de iis quae in Codice Iuris Canonici iam promulgata et de iure communi ab omnibus observanda sunt, sed ea tantummodo respiciunt quae huic dioecesi sive ex statutis legitimis sive ex privilegio sunt propria.

ART. 2.

Ordo rerum Constitutionum sequitur ordinem in Codice Iuris servatum ; proinde articuli illarum per Canones istius semper compleantur ad eosque referantur oportet.

ART. 3.

Constitutiones synodales semel in anno integre legantur in Seminario Nostro Maiori et per biennium in Conferentiis decanalibus, ad normam art. 8 § 5.

ART. 4.

Easdem stricte observare tenentur :

1° omnes sacerdotes Nostrae dioecesis ;

2° omnes sacerdotes saeculares extranei, in hac dioecesi domicilium vel quasi-domicilium habentes ;

3° omnes Regulares et Religiosi legitime exclaustrati.

ART. 5.

Harum Constitutionum promulgatione abrogantur cum Statuta dioecesana anno 1884 ab Illmo et Rev^mo Caspare

Mermillod, antecessore Nostro, parti Lausannensi data, tum Statuta Vicariatus Apostolici Genevensis anno 1881 ab eodem sancita.

Liber Secundus : De Personis

PARS PRIMA : DE CLERICIS

I. De Incardinatione

Canones Iuris 111-117

ART. 6.

Antequam sacerdos extraneus, in dioecesim incardinandus, canonicum ordinationis titulum in ea obtineat, necesse est, ad normam art. 64, ut summam mille francorum helvet. solvat, cum foenore quaternarum centesimarum partium (4 %) inde a die ordinationis ad Subdiaconatum usque ad diem incardinationis computando.

II. De Obligationibus Clericorum

Canones Iuris 124-144

ART. 7.

§ 1. Ad exercitia spiritualia, in Nostro Seminario peragenda, tenentur :

1° Intra primum initae possessionis annum, singuli presbyteri ad beneficium curatum promoti ;

2° quovis saltem secundo anno, omnes sacerdotes qui sexaginta annos nondum compleverunt.

§ 2. Sacerdotes qui exercitiis spiritualibus in aliis domibus piis vacare intendunt, facultatem antea a Nobis exquirere et obtinere, ac testimonium exercitiorum peractorum ad Cancellariam episcopalem mittere debebunt.

ART. 8.

§ 1. In decanatibus seu archipresbyteratibus, qui saltem 10 paroeciis constant, quinque quotannis habeantur conferentiae, in minoribus vero quatuor. His interesse iubentur omnes sacerdotes saeculares quorum nomina in Directorio

recensentur, necnon religiosi qui curam animarum exercent et extra domum suae Religionis vivunt.

§ 2. Conferentiae materia principalis erunt theses ab Episcopo quovis anno propositae, quas scripto solvere sua quisque vice tenetur, nisi aetatis annum sexagesimum quintum expleverit. Ipse decanus eiusque scriptor a conficiendis thesibus sunt dispensati.

§ 3. Si, propter exceptiones in § 2 notatas, numerus thesium numerum sacerdotum in decanatu superet, quilibet sacerdos annuatim non plus una thesi scribenda oneretur.

§ 4. Conferentiis de iure praeest decanus seu archipresbyter qui sibi unum e sacerdotibus eligat ut scriptorem. Decani absentis vices gerit is parochus in cuius paroecia conferentia coadunatur.

§ 5. Singulis conferentiis praemittatur, quantum fieri potest, missa pro defunctis confratribus celebranda ; omnes vero Conferentiae initium sumant a lectione decimae partis Constitutionum synodalium, ad normam art. 3.

§ 6. Theses solutae quotannis ante diem primam Decembris mittantur Superiori Seminarii ; liber vero decanalis [*compte rendu*] ante eamdem diem dirigatur Cancellario Nostro.

ART. 9.

§ 1. Examen ab omnibus neopresbyteris, graviter eorum onerata conscientia, per quatuor annos subeundum, fit in Seminario Friburgi, mane primae exercitiorum spiritualium diei. Neopresbyteri ea die impediti, ad examen extremo mense Octobri subeundum vocabuntur.

§ 2. Sacerdotes in pago Genevensi commorantes, examen iisdem diebus coram Vicario Nostro Generali Genevae subibunt.

ART. 10.

§ 1. Ancillae, ad famulandum necessariae, annos habento saltem triginta quinque, nisi agatur de sorore vel nepte sacerdotis, bonae vitae et integerrimae famae.

§ 2. Sacerdotes ancillam commensalem non habeant nec sinant eam administrationi paroeciae quomodocumque se ingerere.

§ 3. Quovis mense, vel saltem trimestre, merces ancillae solvatur, ne illa postea ullo modo in angustum veniat.

Art. 11.

In regionibus catholicis Nostrae dioecesis, omnes sacerdotes saeculares semper subtanam et cincturam, collare romanum et galerum ecclesiasticum deferant.

Nota. — Hac lege non intendimus stricte obligare sacerdotes et clericos extraneos, ratione studiorum Friburgi commorantes.

Art. 12.

§ 1. In regionibus acatholicorum, sacerdotes veste breviori, id est subtanella sint induti, at semper collare romanum retineant.

§ 2. Tum subtanella, tum alia quaevis superindumenta nigri prorsus coloris sunto.

Art. 13.

Vestibus laicis incedere, etiam itineris ratione, clericis non licet nisi legitima gravique de causa. Poenis a iure praevisis plecti poterunt sacerdotes qui, monitione accepta, hac super re deliquerint.

Art. 14.

Absque speciali Nostra licentia, super litteris medici a Nobis designati fundata, barbam deferre nemini licet.

Art. 15.

Cauponas ingredi, praesertim in propria paroecia, nisi ratio gravis adsit, nemini sacerdotum licet, nec in eis cibum vel potum sumere, nisi occasione vel itineris vel prandii funebris vel publicae festivitatis.

Art. 16.

Omnes sacerdotes in Domino hortamur, ne, post obitum parentum suorum, bona patrimonialia indivisa relinquant, atque ut testamentum condant in foro civili validum. Nunquam fideiubeant sine Nostra licentia singulis vicibus exquirenda.

Meminerint, velimus, eis praecipue competere, ut ceteris fidelibus bonum dent exemplum, operibus piis favendo.

Sacerdotes suos confratres libenter visitent, recipiantque ; raro vero et caute laicos frequentent.

ART. 17.

Theatrorum frequentationem clericos dedecere, omnibus compertum est. Severe iisdem prohibemus publica spectacula [*théâtre*, *opéra*, *cinéma*, *Theater*, *Oper*, *Kino*] quae, prudentium hominum iudicio, ipsis periculum vel populo scandalum parere possent.

III. De Decanis

Canones Iuris 445-450

ART. 18.

Numerus decanatuum dioecesis Nostrae hic statuitur :

A. In Pago Friburgensi :

1°	Decanatus	Friburgensis,	complectens	paroeciam	1	et Rect.	3
2°	»	Staviacensis	»	paroecias	9	»	1
3°	»	Grueriae	»	»	10	et al. benef.	1
4°	»	Rotundimontanus	»	»	12	»	6
5°	»	In Parte Dei	»	»	11	»	3
6°	»	Germanus	»	»	15	»	7
7°	»	Aventicensis	»	»	10	»	2
8°	»	Sanctae Crucis	»	»	10	»	6
9°	»	S. Henrici	»	»	11	»	3
10°	»	S. Marii	»	»	8	»	2
11°	»	S. Protasii	»	»	11	»	5
12°	»	Vallis Sanctae	»	»	9	»	1
13°	»	S. Odilonis	»	»	8		
14°	»	S. Udalrici	»	»	10.		

B. In Pago Valdensi :

15° » S. Amedei, complectens paroecias 19 et Rect. 3.

C. In Pago Novicastrensi :

16° » S. Bonifacii, complectens paroecias 9.

D. In Pago Genevensi :

17°	Archipresbyteratus	S. Petri ad Vincula,	compl.	paroecias	6
18°	»	Immaculatae Virginis	»	»	8
19°	»	Sanctae Crucis	»	»	10
20°	»	S. Francisci Salesii	»	»	9

Beneficia perpetuo unita et Vicariatus paroeciales non computantur.

ART. 19.

Antequam decanus[1] ullum ministerii sui officium exerceat, coram Nobis vel delegato Nostro professionem fidei et iuramentum emittat, secundum formulas I. et III. in Appendice relatas.

ART. 20.

Decanorum ius et officium est :

1º Installandi, ut aiunt, sacerdotes in suo decanatu de beneficio provisos, ad normam art. 110 ;

2º Quovis anno, paroecias sui decanatus visitandi, ad pueros omnes in catechesi examinandos ; quod tamen examen omittendum erit iis in annis, in quibus Episcopus ipse Visitationem pastoralem illic peragit ;

3º Quovis anno, omnes libros paroeciales, fundationum missarum et residarium [*rentier*] beneficii examinandi et subscribendi ;

4º Quovis anno assistendi parvae Synodo quae post festa paschalia celebratur ;

5º Praesidendi conferentiis decanalibus, ad normam art. 8 § 4 ;

6º Dispensandi super proclamatione duorum bannorum cum omnibus nupturientibus sui decanatus ;

7º Feria V. Maioris Hebdomadae olea sacra quaerendi, eaque feria VI. sacerdotibus distribuendi ;

8º Conficiendi inventaria ad normam art. 21 ;

9º Sepulturam confratris in decanatu defuncti ordinandi ;

10º Clericos bis in anno sine iusta causa a Conferentiis absentes, vel contra art. 10–17, aut alio quovis modo contra fidem, bonos mores, honestatem et urbanitatem delinquentes, nec, facta monitione, obtemperantes, Nobis denuntiandi.

ART. 21.

Cum sacerdotem sui decanatus beneficium resignare, vel morte corripi contigerit, decanus, coram resignante et delegato Consilii paroecialis, triplex inventarium omnium beneficii bonorum et titulorum conficiet. Primum exemplar, decanus ipse secum custodiet ; secundum, sacerdoti discedenti remittet; tertium, delegato consilii paroecialis tradet, simulque unam e duabus cistae clavibus retinebit, donec de successore sit provisum. Successore autem ad beneficium nominato, decanus

[1] In pago Genevensi decani *archipresbyteri* vocantur.

ei coram delegato consilii omnia bona, inventario illo iterum recognoscenda, remittet.

Haec valent etiam pro paroeciis quae beneficium proprie dictum non possident, aliqua tamen bona aut titulos habent quos parochus administrat.

ART. 22.

De his omnibus, sicuti de aliis rebus maioris momenti ad decanatum pertinentibus, decanus quotannis Nobis exactam relationem scriptam exhibebit, dies saltem viginti ante Pascha tradendam.

IV. De Parochis

Canones Iuris 451-470

ART. 23.

Concursus pro obtinenda paroecia vel alio beneficio in pagis Friburgensi et Genevensi fit ad normas ab Episcopo datas ; in pagis Valdensi et Novicastrensi vero iuxta Pactiones, Episcopum inter et potestatem civilem hac in materia conditas.

ART. 24.

Cum magni intersit pastores cognoscere oves suas, mandamus ut omnes parochi per seipsos vel per vicarium substitutum singulas suae paroeciae familias visitent, et quidem :

1° Quovis anno, in paroeciis usque ad 4000 animas continentibus ;

2° Quovis saltem biennio, in omnibus aliis paroeciis.

ART. 25.

In illis paroeciis, ubi praeter parochum adest sacellanus vel vicarius, hic, discedente vel defuncto parocho, statim paroeciae regimen, quoad spiritualia, assumere debet, obtinetque eo ipso necessarias facultates, etiam ad assistendum matrimoniis, donec aliter ab Episcopo provideatur, quin tamen diebus dominicis et festivis missam pro populo applicare teneatur. Si plures vicarii vel sacellani adsint, regimen paroeciae transit ad illum qui, eadem in paroecia, munere est antiquior.

Nota. — Attendant parochi, vicarium a se pro tempore feriarum vel vacationis substitutum [Can. 465 § 4] nec valide nec licite matrimoniis assistere, nisi ab Ordinario approbetur [*Act. Apost. Sed.*, 1922, pag. 527].

Art. 26.

Omnes parochi, qui in sua paroecia vicarios cooperatores habent, tenentur Nobis quovis anno de iisdem singillatim referre, onerata eorum conscientia super veritate dictorum, ad normam art. 27.

V. De Vicariis paroecialibus

Canones Iuris 471-478

Art. 27.

§ 1. Vicarii paroeciales seu cooperatores tenentur cum parocho suo in eadem domo commorari.

§ 2. Parocho suo reverentiam et obedientiam praestare debent non solum in iis quae immediate ad curam animarum ac munera in paroecia obeunda spectant, sed etiam in tota vitae morumque consuetudine. Sedulo praesertim caveant, ne sine gravi ratione vel inscio parocho extra domum paroecialem noctu egrediantur vel sero illuc revertantur.

PARS SECUNDA : DE RELIGIOSIS

Ad normam Canonum 487-681 Iuris

PARS TERTIA : DE LAICIS

I. De Fidelium Associationibus

Canones Iuris 684-725

Art. 28.

§ 1. *Codex Iuris canonici* (c. 684) laudat fideles « si dent nomina associationibus ab Ecclesia erectis vel saltem commendatis », quo vocabulo non tantum confraternitates sed etiam sic dictae societates paroeciales (*sociétés paroissiales*, *Vereine*) intelligendae sunt. Hae vero, ubicumque opportunum fuerit, erigantur, non merae quidem recreationis causa, sed, ut ait *Codex* (c. 685), « vel ad perfectiorem vitam christianam inter socios promovendam, vel ad aliqua pietatis aut caritatis opera exercenda, vel denique ad incrementum publici cultus ».

§ 2. Omnes fidelium associationes, uti sunt Tertii Ordines saeculares, Congregationes, Fraternitates et Piae Uniones, sua comitia, suos officiales seu gubernatores habeant, secundum leges suas, cuique proprias, nominandos.

ART. 29.

Nulli parocho licet bona associationum ipse solus administrare, sed, ad normam art. 28 constituendus est administrator bonorum seu thesaurarius, qui singulis annis coram parocho et consilio Fraternitatis rationem redituum et expensarum reddat.

ART. 30.

Consilium associationis una cum parocho ex bonis et aere collecto solvat expensas ordinarias pro illa faciendas. Ut vero reditus et bona associationis ad alios spirituales usus — profanis semper exclusis — adhiberi possint, ad Nos erit recurrendum.

Liber Tertius : De Rebus

PARS PRIMA : DE SACRAMENTIS

I. De Baptismo

Canones Iuris 737-779

ART. 31.

Fons baptismalis clavi rite clausus servetur et aqua sit munda.

ART. 32.

Acatholicis adultis qui ad catholicam fidem transire volunt, fidei nostrae mysteria explanentur ; neque ad abiurationem procedatur nisi de expressa Nostra licentia, ad normas in Appendice sub num. V. et VI. relatas.

ART. 33.

Ad tramitem indulti a Leone Papa XIII. concessi, omnes interrogationes patrinis faciendae et responsiones ab eis dandae, lingua latina primum proferantur, statimque vulgari repetantur idiomate, si placeat.

Art. 34.

§ 1. Inter eos qui de iure ab officio patrinorum arcendi sunt, adnumerari debent illi qui matrimonio tantum civili conjuncti vivunt, sicut etiam qui, matrimonio mixto coniuncti, prolem suam ministro acatholico baptizandam et educandam tradiderunt.

§ 2. Acatholici et illi, de quibus in § 1, si absque scandalo ab officio patrinorum repelli non potuerunt, ut simplices testes tolerentur et in libro baptizatorum inscribantur.

Art. 35.

Nulli sacerdotum licet munus patrini assumere, nisi pro nepote vel nepte, vel de expressa Nostra licentia.

II. De Confirmatione

Canones Juris 780-800

Art. 36.

Ad Confirmationem admittuntur omnes pueri qui, eodem in anno quo confirmantur, septimum aetatis annum complent.

Art. 37.

Patrini — vel potius testes — acatholici pro Confirmatione non admittuntur.

III. De Eucharistia, qua sacrificium

Canones Juris 801-844

Art. 38.

§ 1. Rectores ecclesiarum a sacerdotibus sibi ignotis semper requirant et exhibere faciant authenticas et adhuc validas litteras testimoniales [*Celebret*], antequam eos ad missam celebrandam admittant.

§ 2. Attamen — si rectoribus ecclesiarum placet — sacerdotes extranei, his litteris carentes, semel aut ad summum bis in dioecesi poterunt ad celebrandum admitti.

§ 3. Sacerdotes extranei qui in civitate Friburgensi vel Genevensi ultra octo dies, in reliquis vero dioecesis paroeciis ultra quindecim dies sunt celebraturi, praefatas litteras testimoniales [*Celebret*] Ordinario praesentare debebunt.

§ 4. Omnino et strictissime prohibemus, ne ullus sacerdos — licet litteris [*Celebret*] munitus — ad celebrandum admittatur, nisi veste sacerdotali ad normam art. 11, 12 et 13 sit indutus.

§ 5. Rectores ecclesiarum sacerdotes extraneos de hac lege certiores facere tenentur.

ART. 39.

In sacristiis adsit liber peculiaris in quo omnes sacerdotes extranei, ibi celebrantes, nomen suum et cognomen, dioecesim et domicilium inscribant.

ART. 40.

§ 1. Ad tramitem indulti a Pio Papa X. concessi, omnes parochi tenentur, in die festi suppressi, in Directorio sub littera O adnotati, stipendium missae transmittere Curiae episcopali pro operibus dioecesis adhibendum, etiamsi hac die missam ex qualibet causa non celebraverint.

§ 2. Vigore eiusdem indulti, omnes sacerdotes utriusque cleri, missam bis in die celebrantes, eadem obligatione ligantur quoad secundam missam, nulla omnino exceptione admissa, sive pro hac secunda missa stipendium acceperint sive non acceperint.

§ 3. Sacerdos qui missae eleemosynam taxa dioecesana maiorem accepit, partem superfluam sibi ipsi retinere potest, ut in favorem personae datam.

ART. 41.

Secundum indultum a Pio Papa IX. dioecesi Nostrae concessum, omnes sacerdotes in nocte Nativitatis Domini missam celebrantes, eam media nocte possunt inchoare.

ART. 42.

Missae fundatae eae tantum habentur, quarum summa capitalis, ad normam art. 43 § 1, in manus rectoris ecclesiae soluta fuit.

ART. 43.

§ 1. Summa capitalis pro missa fundata solvenda, haec statuitur :

pro missa lecta, in 25 annos fundata : 150 fr. helv.
pro missa lecta, in 50 annos fundata : 200 fr. helv.
pro missa lecta, in 100 annos fundata : 300 fr. helv.

pro missa cantata, in 25 annos fundata : 300 fr. helv.
pro missa cantata, in 50 annos fundata : 400 fr. helv.
pro missa cantata, in 100 annos fundata : 500 fr. helv.

§ 2. Tempore ad quod missa fundata erat, secundum § 1 expleto, summa capitalis fundationis, omni onere soluta, beneficio incorporatur.

§ 3. Nulla missa fundata die fixa celebranda admittatur, sed potius statuatur mensis intra quem erit celebranda, nisi plures in eadem ecclesia sint beneficiarii.

Art. 44.

De peculiaribus fundationibus, hic non memoratis nec taxatis, recursus fiat ad Episcopum.

Art. 45.

Rectores ecclesiarum, in libro ad hoc exclusive destinato, accurate inscribant missarum fundationes, indicando diem, mensem et annum oblationis, nomen offerentis, nomen eius [eorum] pro quo [quibus] missa applicanda est, summam capitalem solutam et durationem seu terminum fundationis, quae omnia sub fine cuiusque anni Curiae episcopali erunt r ansmittenda, una cum formula de qua in art. 48.

Art. 46.

§ 1. Missarum manualium stipendia sunt haec :
pro Missa lecta, nec die nec altari affixa : 3 fr. helv.
pro Missis Gregorianis : 100 fr. helv.
pro Missa cantata : 5 fr. helv.
pro cantando Resp. : *Libera me :* 50 cent.

§ 2. Si missa celebrari debeat in sacello a domo sacerdotis remoto, pro quovis milliario [kilomètre] addantur 50 cent.

§ 3. Hoc decreto nullo modo immutantur stipendia maiora, quibusdam ecclesiis vel sacellis, pro celebrandis ibidem missis, concessa.

§ 4. Nemini utriusque cleri sacerdotum licet stipem minorem pro applicatione missae accipere. Caveant tamen omnes, ne avaritiae aut cupiditatis accusari possint, ideoque cum pauperibus mitius agant, et partem consueti stipendii, vel totum stipendium ultro eis condonent, ita tamen ut hi norint, esse meram liberalitatem, ne successoribus praeiudicium inferatur.

Art. 47.

Sacerdotes qui stipendia superflua habent, possunt ea tradere aliis dioecesis Nostrae sacerdotibus. Valde autem hortamur, ne ea extra dioecesim mittant, sed Curiae episcopali tradant, meliori et tutiori modo per eam distribuenda.

Art. 48.

Intra mensem Ianuarium cuiusque anni, omnes sacerdotes saeculares Nostrae dioecesis tenentur Nobis indicare, secundum formulam eis per Nos missam, quot in totum stipendia per decursum anni praecedentis receperint, quotque ipsi persolverint vel aliis tradiderint.

Art. 49.

Stricte mandamus, ut quisque sacerdos habeat librum, a libro fundationum prorsus distinctum, in quo accurate notet missarum stipendia a se accepta, atque per dies soluta.

IV. De Eucharistia, qua Sacramentum

Canones Iuris 845-869

Art. 50.

§ 1. Quando SS. Sacramentum publice ad infirmos deferri nequit, servetur ad amussim ritus a Benedicto XIV praescriptus et in Man. Rit. edit. 3ª, pag. 343 expositus.

§ 2. Nemini licet SS. Sacramentum publice exponere, nisi a Nobis generalem aut particularem obtinuerit licentiam.

Art. 51.

§ 1. Pueri ad primam Communionem admittantur secundum normas ab Ecclesia datas, variis tamen pagorum dioecesis Nostrae conditionibus accomodandas.

§ 2. Singulis annis vel quovis saltem biennio fiat communio generalis ad quam parvuli scholas frequentantes sive universim sive partim adducantur, quae sacris exercitiis, per tres dies faciendis, praeparetur. Curet parochus ut pueri, hac occasione, confessarium extraneum adire possint. Dies ipsa Communionis generalis maxima solemnitate peragatur : infra Missam cantatam incensetur altare, post Vesperas detur benedictio Smi Sacramenti, renovatis prius votis baptismi cum consecratione ad B. V. Mariam.

ART. 52.

Crimen, ob quod sacra communio peccatori publice petenti deneganda est, debet esse vere notorium et scandalosum, ita quidem ut notorietas non solius vulgi fama et dictis innitatur, sed absque dubio constet. Idcirco mandamus, ut his in casibus sacerdotes nihil inconsulto Episcopo faciant.

ART. 53.

Tempus ad implendum praeceptum Communionis paschalis incipit pro omnibus paroeciis Nostrae dioecesis a dominica quarta Quadragesimae et perdurat usque ad dominicam tertiam post Pascha, eaque inclusa.

V. De Poenitentia

Canones Iuris 870-910

ART. 54.

§ 1. Praevium examen ad obtinendam iurisdictionem in dioecesi ab alumnis Seminarii Nostri fit coram examinatoribus a Nobis ad hoc deputatis.

§ 2. Alumni Universitatis Friburgensis, qui iurisdictione in propria dioecesi nondum gaudent, quique eam in Nostra dioecesi obtinere desiderant, idem examen faciant coram iis de quibus in § 1, vel testimonium Nobis exhibeant consimilis examinis, quod coram tribus theologiae professoribus Universitatis subierunt.

§ 3. Sacerdotibus extraneis iurisdictio tunc tantummodo dabitur, cum per instrumentum Ordinarii sui probaverint se in dioecesi sua hac facultate esse ornatos.

§ 4. Omnibus parochis et vicariis finitimarum dioecesium, quorum paroecia paroeciam Nostrae dioecesis limitat, iurisdictionem concedimus, ut, de consensu parochi loci, confessiones fidelium ibidem audire possint et valeant.

§ 5. Regulares in alia dioecesis Helvetiae approbati, quoties in aliquo conventu vel ut hospites devertunt, vel propter operariorum penuriam illuc vocantur, ad confessiones audiendas deputari possunt a superiore.

ART. 55.

In dioecesi Nostra nullum peccatum ab Episcopo est reservatum.

ART. 56.

Quoties sacerdos saecularis vel regularis confessionem alicuius infirmi graviter decumbentis in eiusdem domo

exceperit, parochum loci moneat, saltem per scripturam, ut ipse ulteriori eius curae spirituali prospicere valeat.

ART. 57.

Curent parochi ut pueros, peccati capaces et sufficienter instructos, sed nondum admissos ad sacram synaxim, ad confessionem vocent ; eos vero, quos iam propius ad synaxim praeparant, saepius in sacro tribunali excipiant.

ART. 58.

In sacristia confessiones excipere nusquam licet, nisi sacerdos vel poenitens infirmitate aut gravitate auditus laboret.

ART. 59.

Quando confessiones noctu excipiendae sunt, lumen sedi confessionali apponatur.

VI. De Indulgentiis

Canones Iuris 911-936

ART. 60.

Sacerdos, simulac iurisdictionem ad audiendas fidelium confessiones obtinet, habet etiam potestatem dandi benedictionem Apostolicam in articulo mortis, cum adnexa indulgentia plenaria.

VII. De Extrema Unctione

Canones Iuris 937-947

ART. 61.

In catechesibus et concionibus parochi ceterique presbyteri omnia quae fideles de hoc sacramento scire oportet, distincte explicent, ac praesertim, erroribus et praeiudiciis repulsis, salutares eius effectus exponant.

VIII. De Ordine

Canones Iuris 948-1011

ART. 62.

§ 1. Singulis Quatuor Temporum dominicis, parochi excitent fideles ut precibus suis dignos sacerdotes promereantur, et hunc in finem ante vel post concionem « Pater »

et « Ave » cum invocatione « Regina cleri, ora pro nobis », lingua vernacula cum populo recitabunt.

§ 2. Curent insuper ut pueros, pietate et ingenio praestantes et ad sacrum ministerium aptos, seligant et pro viribus adiuvent.

Art. 63.

Aspirantes ad sacros ordines totum theologiae curriculum in Seminario Nostro per quatuor integros annos peragere tenentur. Ideoque iuvenes qui alibi, sine praevia Nostra licentia, studiis theologicis vacaverint, examen super omnibus disciplinis ecclesiasticis coram professoribus Seminarii subire debebunt et, si casus ferat, ad studia in Seminario complenda adigentur.

Art. 64.

Ad normam indulti a Leone Papa XIII concessi, titulus canonicus ordinationis pro Nostra dioecesi constituitur solutione mille francorum helveticorum, ante ordinationem ad Subdiaconatum facienda, quae summa dioecesi parta manet, etiamsi sacerdos ex ea excardinetur.

Art. 65.

§ 1. Praevium examen ordinandorum Seminarii Nostri fit coram eiusdem professoribus.

§ 2. Ordinandi ex Universitate Friburgensi testimonium examinis, coram theologiae Magistro superati, Nobis exhibere tenentur ; ordinandi vero e clero regulari, testimonium sui Superioris.

Art. 66.

Nomina promovendorum ad ordines sacros publice denuntientur in paroeciali ecclesia cuiusque candidati, secundum formulam in Appendice sub num. VII relatam.

Art. 67.

§ 1. Superiores Convictuum Universitatis Friburgensis tenentur, dies decem ante unamquamque ordinationem, Nobis exhibere ordinandorum :

a) testimonium baptismatis et confirmationis ;

b) litteras testimoniales et dimissoriales ;

c) fidem examinis et peractae publicationis, ad normam art. 65 § 2 et 66 ;

d) testimonium de emissis professione fidei et iuramento antimodernistico ;

e) denique, pridie ordinationem, testimonium exercitiorum spiritualium peractorum.

§ 2. Superiores Religiosorum, iisdem in circumstantiis, exhibeant solummodo litteras dimissoriales, testimonium examinis et spiritualium exercitiorum.

Art. 68.

§ 1. Primitiae neosacerdotis multum conferre solent ad gratiam vocationis ecclesiasticae in adolescentibus piis et ingenuis suscitandam, ideoque magna cum solemnitate peragantur in ecclesia. Ante missam cantetur hymnus « Veni Creator » ; post Vesperas, exposito S^mo^ Sacramento, cantetur « Te Deum » et impertiatur benedictio.

§ 2. Volumus autem ut his in primitiis omnia vitentur quae festivitatem religiosam utcumque dedecent : quare severe prohibemus luxum et pompas mere profanas, convivia nimis numerosa et producta.

IX. De Matrimonio

Canones Iuris 1012-1143

Art. 69.

Parochi et sacellani singulis annis, post Epiphaniam, ex cathedra publicare tenentur *Decreta matrimonialia*, secundum formulam et normas anno 1922 datas.

Art. 70.

Gravi obligatione adstringuntur parochi, catholicos nupturientes serio, et quidem separatim, examinandi num sint in veritatibus fidei sufficienter instructi, eisque hoc in actu *Instructionem matrimonialem*, in Appendice sub num. VIII relatam, de verbo ad verbum praelegendi.

Art. 71.

Testimonium baptismatis, ab omnibus nupturientibus catholicis exigendum, ante tres menses ad summum sit scriptum.

Art. 72.

Publicationes bannorum fieri debent :

1° in paroecia ubi nupturientes nunc temporis commorantur ;

2° in paroecia ubi immediate antea habitarunt, si per sex integros menses ibidem permanserint.

Art. 73.

Matrimonia mixta non publicantur.

Art. 74.

Vi consuetudinis in dioecesi vigentis, matrimonium celebrari potest iam altera die ab ultima publicatione si rationabilis causa id postulet.

Art. 75.

§ 1. Supplex libellus pro impetranda dispensatione ab impedimento matrimonii in foro externo haec semper expressa habeat :

a) nomen et cognomen nupturientium ;

b) eorum domicilii, non vero originis, locum ;

c) impedimentum inter eos existens idque accurate descriptum ;

d) statum fortunae, sub generali saltem formula exprimendum ;

e) causam, seu causas, dispensationem concedendi ;

f) tempus seu diem matrimonii ineundi.

§ 2. Deficiente vel una ex his notis, libellus ad parochum, ab eo complendus, remittetur.

§ 3. Attendant parochi, verba « omnia iam parata sunt ad nuptias » non esse causam canonicam cur dispensatio concedatur, sed meram rationem ob quam Ordinarius ipse, ad normam Can. 1045 Iuris, dispensationem concedere possit, quin adeat S. Sedem.

Art. 76,

Meminerint parochi aliique sacerdotes, secundum legem civilem in Helvetia vigentem, sub poena vetitum esse matrimonio assistere, nisi testimonio scriptis exhibito constet formam matrimonialem civilem a copulandis iam fuisse observatam.

Art. 77.

§ 1. Matrimonium inscribatur in libro matrimoniorum illius paroeciae ubi celebratum est. Quodsi non parochus sed alius sacerdos rite delegatus matrimonio adstiterit, parochum de peracta celebratione illico moneat.

§ 2. Parochus vero, nulla interposita mora, nomina coniugatorum etiam in libro baptizatorum inscribat vel ea transmittat parocho loci ubi uterque baptizatus est.

PARS SECUNDA : DE LOCIS ET TEMPORIBUS SACRIS

I. De Ecclesiis

Canones Iuris 1161-1187

ART. 78.

Ecclesiarum, sacellorum et altarium erectionem, restaurationem vel demolitionem Nostrae auctoritati reservari, neminem latet. Ideoque, antequam ad notabilem constructionem, reparationem vel decorationem procedatur, omnino volumus, ut cum forma aedificationis (*Plan*) tum expensarum summa (*devis*, *Kostenvoranschlag*) Nobis exhibeantur, salva lege civili super hac re in pago Friburgensi vigente.

ART. 79.

Curent parochi et ecclesiarum rectores ut in aedificandis vel restaurandis ecclesiis et sacellis, artis christianae legibus semper servatis, commoditati ac liturgicis praeceptis provideatur.

ART. 80.

Rectoris est invigilare ut ecclesia eo nitore resplendeat, qui domum Dei decet. Quare ecclesiae et sacristiae semel saltem per hebdomadam verrantur, et quoties necessitas adest, earum pavimentum lavetur, parietes et fenestrae a pulvere et squalore mundentur.

II. De Coemeteriis

Canones Iuris 1205-1214

ART. 81.

Secundum legem civilem, legi ecclesiasticae repugnantem, omnia coemeteria iurisdictioni gubernii civilis subiiciuntur. Cum exinde fieri possit, ut quis in coemeterio sepeliri debeat, cui secundum sacros Canones terra benedicta deneganda foret, commune coemeterium in posterum ne benedicatur, sed sacerdos sepeliens pro singulis humationibus sepulchro benedicat, secundum formulam Ritualis Romani.

III. De Funeribus

Canones Iuris 1215-1242

Art. 82.

Ubi legitima et praescripta consuetudo invaluit, taxam specialem pro funeribus exigendi, servari potest. Novas vero, vel maiores taxas absque Nostra licentia exigere prohibemus.

Art. 83.

In urbibus et multis aliis paroeciis immoderatus invaluit coronarum et florum usus, quibus feretrum ornatur. Hortamur itaque parochos, ut pro viribus abolere vel saltem moderare hunc abusum contendant.

Art. 84.

Panegyricus a sacra Liturgia prorsus alienus est. Itaque suadendum et desiderandum ut, etiam in funeribus sacerdotum, quantum fieri potest, omittatur.

Art. 85.

Hac tamen prohibitione non intelligi volumus brevem illam allocutionem quae in locis acatholicorum in domo defuncti vel super tumulum fieri solet, et quia non est panegyricus, et quia saepius ad instructionem et aedificationem auditorum conferre potest.

PARS TERTIA : DE CULTU DIVINO

I. De custodia Sanctissimae Eucharistiae

Canones Iuris 1265-1275

Art. 86.

§ 1. Quoties in posterum novum tabernaculum construetur vel notabiliter immutabitur, volumus ut immobile fabricetur, non vero velut rota circa axim versatile.

§ 2. Iuxta tabernaculum adsit vasculum cum aqua et purificatorio, saepe saepius mundanda.

Art. 87.

Ob speciales circumstantias belli europaei (1914–1918) indultum fuit ut pro lampade, coram S^mo Sacramento collu-

cente, adhiberetur lux electrica. Iisdem vero sensim cessantibus, curandum est ut ubique legibus liturgicis, oleum vel ceram apum exigentibus, satisfiat.

II. De sacris Processionibus

Canones Iuris 1290-1295

Art. 88.

§ 1. Praeter processiones quae a sacra Liturgia praescribuntur, uti v. g. processio Palmarum, Rogationum etc., quaeque, pro posse, ubique sunt faciendae, sequentes in dioecesi antiquitus usitatae sunt et, pro vario paroeciarum usu, retinendae :

1° Processio theophorica, ratione Confraternitatis S^mi Sacramenti quovis mense facienda ;

2° Processio Mariana, ratione Confraternitatis S^mi Rosarii vel Scapularis quovis mense peragenda ;

3° Processio sacrarum Reliquiarum, in ecclesiis ruralibus ab Inventione S. Crucis usque ad Exaltationem eiusdem singulis dominicis instituenda, nisi occurrat alia functio liturgica ;

4° Processio pro defunctis, diebus 1. et 2. Novembris et 14. Ianuarii per coemeterium, ecclesiae contiguum, facienda ;

5° Processiones quaedam particulares, in aliquibus paroeciis ab antiquo iam usitatae et quotannis faciendae.

§ 2. Novae processiones, etiam intra fines paroeciae tantum, absque praevia Nostra licentia ne instituantur.

III. De sacra Supellectili

Canones Iuris 1296-1306

Art. 89.

Inventarium completum et accurate exaratum universae sacrae supellectilis et paramentorum ecclesiae, duplici exemplari confectum, Nobis in qualibet Visitatione pastorali exhibendum est, quorum unum, a Nobis recognitum, in archivo paroeciali asservabitur.

Art. 90.

Fas esto omnibus ecclesiarum rectoribus, a sacerdotibus his ecclesiis non inservientibus ibique celebrantibus, propter utensilia et alia ad missam necessaria, taxam, quinquaginta centesimis non maiorem, exigendi.

PARS QUARTA : DE MAGISTERIO ECCLESIASTICO

I. De catechetica institutione

Canones Iuris 1329-1336

ART. 91.

Neminem latet, ex pia puerorum instructione fere totam pendere vitam christianam, familiarum et populi prosperitatem. Quare

1° praecipimus, ut parochi eorumque vicarii et alii clerici quorum interest, quavis hebdomada habeant instructionem catecheticam, vario puerorum captui et aetati accommodatam, unius tamen horae spatium nunquam excedentem ;

2° ob varias tum sacerdotum tum puerorum necessitates, scholarum ferias et alia huiusmodi, liceat hanc instructionem aliquoties omittere, ad summum vero decies quinquies in anno ;

3° iisdem praecipimus ut aliam instructionem catecheticam habeant singulis dominicis, solemnioribus tantum exceptis ita, ut numerus harum instructionum dominicalium in anno non sit minor triginta ;

4° volumus ut haec catechetica instructio dominicalis, etiam adultis maxime proficua, fiat sub fine Vesperarum et aliquoties, v. g. semel in mense, infra Missam paroecialem, loco concionis ;

5° in locis ubi haec instructio catechetica dominicalis sive infra Missam sive infra Vesperas impossibilis est, per aliam instructionem, in quantum fieri potest, diebus ferialibus instituendam, compensetur.

ART. 92.

Sacerdos qui pueros aliquos laicis catechizandos tradit — quod quidem tantum in casu verae necessitatis permittimus — tales eligere debet adiutores qui scientia virtuteque sint probatissimi.

ART. 93.

§ 1. Teneant parochi aliique catechistae accuratum puerorum catechesim frequentantium catalogum, ut negligentes monere et ad officium revocare valeant.

§ 2. Curent insuper ut nomina puerorum a paroecia discedentium tradant parocho novi domicilii.

Art. 94.

Clericus, in ecclesia vel sacello catechesim tradens, semper veste talari et superpelliceo sit indutus.

Art. 95.

Omnino prohibemus, ne catechista alio quam dioecesano utatur catechismo.

Art. 96.

Iuventuti sibi creditae, pietatis et omnium christianarum virtutum exemplum praebeat catechista, eamque cum zelo et amore edoceat veritates. Curet praesertim ut crassioris ingenii pueros magna cum patientia in Domino adiuvet, memor verborum Domini : *Qui susceperit parvulum in nomine meo, me suscipit* (S. Math., xviii, 5).

II. De sacris Concionibus

Canones Iuris 1337-1348

Art. 97.

§ 1. Cum iuxta sacros Canones nullus sacerdos extradioecesanus, neque saecularis neque religiosus, ad concionandum invitari possit quin **prius** Nostra licentia fuerit obtenta ; cum, ex altera parte, graviter onerata Nostra conscientia, teneamur testimonium de concionatoris idoneitate ab ipsius Ordinario vel Superiore habere, districte prohibemus, ne ullus sacerdos extradioecesanus ad concionandum invitetur neve admittatur, nisi ipsius nomen et dioecesis, seu Religio, viginti saltem dies ante concionem Nobis fuerint patefacta.

§ 2. Ad normam decreti Episcoporum Helvetiae licet tamen, sine praevia Nostra licentia, invitare concionatorem in dioecesi vel domo religiosa Helvetiae commorantem, ibique facultate praedicandi gaudentem.

Art. 98.

Concionem, diebus dominicis et festivis faciendam, quinquies ad summum in anno omittere licet.

Art. 99.

Parochi concionum materias sic distribuere satagant, ut intra quinquennium praecipua totius doctrinae capita tradantur.

Art. 100.

§ 1. In urbibus ubi plures celebrantur missae, concio brevis, ad normam art. 98, facienda est in omnibus missis, hora octava et post eam incipientibus, sive in ecclesiis paroecialibus, collegiatis et Religiosorum, sive in sacellis publicis et semi-publicis ad quae populus christianus confluit.

§ 2. In paroeciis ruralibus, non in missa paroeciali tantum, sed etiam in missa matutina sermo brevis, per decem circiter minuta, habendus est.

§ 3. Eadem lex, concionandi scil. in missa matutina, ab omnibus quoque sacellanis seu capellanis observanda est.

Art. 101.

Semel in anno, in omnibus ecclesiis Nostrae dioecesis, in quibus secundum art. 100 concio habenda est, loco concionis legatur formula Praeconii (*Prône; Unterrichtsformel*) iuxta tenorem in num. IX. Appendicis relatum.

Art. 102.

§ 1. Ante concionem, missae adnexam, ordinarie evangelium diei legatur in lingua vernacula.

§ 2. Semel in mense, ante vel post concionem, in omnibus ecclesiis, nulla excepta, parochi vel concionatores alta voce recitent formulam actus fidei, spei et caritatis prout in catechismo habetur.

§ 3. Omnes parochi habeant librum, in quo accurate ea omnia inscribant quae populo fideli ex cathedra annuntianda sunt ; ibi etiam, sed paucissimis verbis, notent concionis argumentum.

III. De sacris Missionibus

Canones Iuris 1349-1351

Art. 103.

§ 1. Quando Missio in aliqua paroecia instat, parochus Nobis id nuntiare tenetur, nomina quoque missionariorum indicans atque facultates necessarias pro eis exposcens.

§ 2. Incipiente primo Missionis exercitio, epistola in hunc finem a Nobis parocho missa, alta voce ex cathedra legatur.

Art. 104.

Curent parochi ut in singulis paroeciis peculiarem Missionis fundum, a beneficio prorsus distinctum, erigant ad expensas facilius solvendas.

IV. De Seminariis

Canones Iuris 1352-1371

Art. 105.

Schola latina Castri S. Dionysii, necnon et Seminaria minora S. Caroli Rotundimontis et S. Aloysii Genevae, reguntur legibus a Nobis adprobatis. Praefatae domus, utpote a Nobis recognitae, benevolentiae cum sacerdotum tum parentum commendantur ad recipiendos pueros qui ad statum ecclesiasticum adspirant, et valde desiderandum ut prae ceteris consimilibus domibus priores habeant partes.

Art. 106.

Seminarium maius S. Caroli Friburgi, ad normam sacrorum Canonum regitur legibus propriis.

V. De Scholis

Canones Iuris 1372-1383

Art. 107.

§ 1. In paroeciis pagi Friburgensis, ubi ludimagistri quoad fidem, catechismum et historiam sacram a Nobis examinantur, eorum est providere ut pueri catechismum memoriter addiscant, historiam sacram legant atque utriusque textum intelligant. Cum ergo sive in iuventute religiose instruenda sive in cultu divino promovendo non parum adiumenti afferant, parochi illos benevolentia et caritate prosequantur.

§ 2. Parochi cunctas suae paroeciae scholas aliquoties in anno visitent.

§ 3. Ludimagistri impii, improbi vel negligentes, post repetitas infructuose monitiones — nunquam tamen coram alumnis faciendas — Superioribus denuntiandi sunt.

Art. 108.

§ 1. In illis paroeciis pagorum Genevensis, Valdensis et Novicastrensis, ubi scholae catholicae erectae sunt, parochi instent iterumque instent ut ab omnibus catholicorum pueris frequententur, « *monitis etiam atque etiam patribusfamilias ut in re tanti momenti animum attendant ad cavendum* » [Leo XIII Encycl. 8 feb. 1884].

§ 2. Ubi vero scholae catholicae desunt, et pueri scholas neutras vel mixtas frequentare tenentur, parochi nulli parcant labori, ut illos sive in re catechetica sedulo instruant, sive in societatibus seu, uti dicunt, patronatibus scholaribus et post-scholaribus coadunent, ita ut pericula irreligiosae vel mixtae educationis meliori quo fieri potest modo avertantur.

§ 3. Legi civili innixi, parochi nunquam sinant, ut his in scholis a ludimagistris divina despectui habeantur nec ut catholicorum puerorum religioni insultetur.

PARS QUINTA : DE BENEFICIIS

I. De beneficiorum collatione

Canones Iuris 1431-1447

ART. 109.

§ 1. De stylo Cancellariae Nostrae, installatio verbalis una cum institutione canonica peragitur per instrumentum scriptum, beneficiario a Nobis mittendum.

§ 2. Attamen, fructus beneficii beneficiarius non facit suos, nisi a die captae possessionis seu installationis realis, per decanum vel alios ad quos spectat ad normam art. 20 § 1 et 110 peragendae.

ART. 110.

Installatio realis fiat in ecclesia, praesentibus fidelibus, per promulgationem — in lingua vernacula — instrumenti institutionis canonicae, emissionem professionis fidei et iuramenti investiendorum clericorum, secundum formulas I et IV in Appendice relatas, necnon, in quantum placet, per traditionem clavium ecclesiae, tabernaculi et fontis baptismalis.

II. De Iuribus et Obligationibus beneficiariorum

Canones Iuris 1472-1483

ART. 111.

Beneficiarius nullo iure proprietatis, sed solius ususfructus in bona beneficii gaudet ; proinde omnia usufructuarii iura ei competunt, sed etiam omnia eiusdem onera ei sunt imposita.

Art. 112.

§ 1. Omnis venditio, permutatio, hypothecatio, cessio vel alia cuiuscumque nominis alienatio fundorum, iurium, obligationum, actionum aliorumve bonorum tam mobilium quam immobilium quae aestimando aestimari possunt, ad beneficium spectantium, ipso facto irrita et invalida est, nisi fiat de expressa Nostra licentia, scripto exigenda et obtinenda, salva lege civili hac de re in pago Friburgensi vigente.

§ 2. Item repudiatio iuris delati, v. g. haereditatis, legati vel donationis in favorem beneficii seu fundationis, privata beneficiarii auctoritate absque Nostro consensu fieri nequit.

Art. 113.

Beneficiarii est, omnia beneficii iura sarta tectaque servare et deperdita recuperare, si possit. Ideoque

1º debet parvas domorum refectiones, quas locativas vocant, suis sumptibus facere et quidem tempestive, ne ob suam negligentiam maiora damna oriantur;

2º tenetur praedia, agros, prata, vineas excolere, sicut id praestant boni coloni, sepes conservare, arbores novas et eodem numero pereuntibus substituere, et alias reparationes necessarias facere, ut solet usufructuarius, nisi per consuetudinem aut conventionem aliter statutum sit;

3º ei non licet alienare, vendere, aut proprio patrimonio addere res ex beneficio provenientes, ut ligna combustibilia, fimum ex paleis beneficii, aut ipsas paleas foenumve, aliaque similia, quae ex natura sua ad meliorem beneficii statum destinantur, nisi forte superflua sint;

4º ad silvas quod attinet, servetur praescriptum art. 116, num. 1.

Art. 114.

Meminerint beneficiarii, sub poena excommunicationis, Sanctae Sedi reservatae, (Can. 2346) vetitum esse, summas capitales beneficii vel quarumcumque fundationum ad proprios usus impendere.

Art. 115.

Summae capitales ad beneficium vel fundationes pertinentes collocandae sunt:

1º in titulis hypothecariis primi gradus [*hypothèque en premier rang; Hypothek im ersten Rang*], nunquam tamen super domos, uti dicunt, industriales [*fabriques, usines; Fabriken, Werkstätten*].

2° in obligationibus vel cedulis harum domorum : Banque de l'Etat de Fribourg ; Caisse hypothécaire du canton de Fribourg [Freiburger Staatsbank und Hypothekarkasse] ; Banque cantonale vaudoise ; Crédit foncier vaudois ; Banque cantonale neuchâteloise ; Caisse hypothécaire de Genève.

3° in obligationibus quae a Confoederatione helvetica, a pagis [*cantons*] vel urbibus helveticis emittuntur.

Art. 116.

In administrandis bonis *beneficii et fundationum*, haec ad amussim observanda statuimus et sancimus :

1° In pago Friburgensi observentur leges ab auctoritate ecclesiastica et civili hac de re conditae [*Convention du* 23 *avril* 1858 *et Instructions du* 23 *mai* 1899*; Uebereinkunft vom* 23. *April* 1858 *und Weisungen vom* 23. *Mai* 1899].

2° In pago Genevensi serventur normae speciales a Nobis super hac re anno 1922 editae [*Règlement de l'Office diocésain de garde des titres*].

3° In pagis Valdensi et Novicastrensi, omnes parochi tenentur, infra annum a publicatis hisce Constitutionibus, Nobis exhibere inventarium completum et distinctum omnium titulorum et bonorum ad beneficium et fundationes pias quomodocumque pertinentium. Postea vero, decursu mensis Februarii cuiusque anni, mutationes et additiones in praefato inventario faciendas Nobis transmittent.

Art. 117.

§ 1. Ut praeveniantur dissidia inter neoelectum beneficiarium et praedecessorem eiusve haeredes, has regulas pro divisione redituum beneficii statuimus :

1° Omnes fructus et reditus quicumque sive beneficii, sive fundationum, dividantur pro rata temporis, quo quis beneficium possederit. Excipimus tamen fundationem pro magnis Missionibus, cuius reditus, natura sua, integre illi beneficiario qui Missionem dat, adcrescunt.

2° Reditus ex pecuniis in foenore positis, quorum perceptionis dies (*échéance*, *Verfalltag*) tempore mutationis iam elapsa est (etsi fortasse nondum soluti sint) beneficiario discedenti vel mortuo ex integro debentur.

3° Reditus, ut aiunt, currentes, seu quorum perceptionis dies adhuc in futuro est, beneficiario discedenti debentur ex parte tantum, scilicet eidem adcrescunt a die ultimae perceptionis usque ad diem discessus vel mortis.

4º Reditus ex locatione bonorum sive mobilium sive immobilium beneficii vel fundationum similiter pro rata temporis dividantur. Annus autem pro hac divisione sicut pro sequentibus a 1ª die Ianuarii ad 31ᵐ diem Decembris computetur. Eadem ratione dividantur fructus arborum, hortorum, agrorum, vel plantationum qualiumcumque sive collecti sive colligendi.

5º Omnia onera cum spiritualia, tum temporalia, sive beneficii, sive fundationum, eodem modo pro rata temporis dividantur. Hinc memorata onera spiritualia Missarum et cetera aequaliter, quantum fas est, per singulos menses distribuantur.

6º Quoad Missarum fundationes et alias huiusmodi, quarum applicatio certis diebus aut anni temporibus affixa est, statuto tempore quidem persolvantur; reditus vero integre illi beneficiario debentur qui fundationem persolvit.

7º Onera temporalia, ut tributa, vectigalia cuiusvis generis et alia quaecumque quae aestimando aestimari possunt, necnon impensae pro cultura hortorum, agrorum, etc., pro seminibus terrae mandandis, pro metendis et colligendis fructibus, etc., ab utroque beneficiario pro rata temporis praestanda veniunt.

§ 2. Scandali vitandi gratia, prohibemus ne beneficiarii eiusmodi lites ad iudices laicos deferant.

Art. 118.

A die discessus vel mortis beneficiarii usque ad diem captae possessionis novi beneficiarii, omnes fructus, deductis cuiuslibet generis expensis, accrescunt beneficio.

Art. 119.

Meminerint sacerdotes, bona beneficialia vocari « Patrimonium pauperum ». Omnes igitur tenentur, ea quae ex reditibus beneficii, post honestam sustentationem, supererint, integre in pauperes vel pias causas erogare, firmo art. 16.

PARS SEXTA : DE RELIQUIS BONIS ECCLESIAE TEMPORALIBUS

Canones Iuris 1495-1551

Art. 120.

§ 1. Oblationes (iura stolae, casualia), et quae debentur et quae sponte offeruntur, ad parochum pertinent.

§ 2. Si tamen oblatio nullo titulo debeatur, et offerens

expresse intendat eam dare sacerdoti functionem sacram peragenti, is eam sibi retinere potest.

§ 3. Sacerdos extraneus, nominatim a sponsis ad benedictionem nuptialem eis impertiendam vocatus, oblationes sibi ipsi servare potest.

§ 4. Vacante beneficio, oblationes cedunt sacerdoti ibi fungenti.

Art. 121.

Bona *paroeciae, ecclesiae et fabricae* a parocho una cum consiliariis laicis administrantur. Ad normam vero Iuris bonique ordinis, ratio expensarum et redituum quotannis Nobis reddatur, et quidem :

1º In pago Friburgensi secundum legem de qua in art. 116 num. 1º ;

2º In pagis Valdensi et Novicastrensi traditione mense Martii facienda, sumptuum omnium paroeciarum [*comptes de paroisse, d'églises*] a parocho et duobus consiliariis subscriptorum ;

3º In pago Genevensi traditione eorumdem Vicario Nostro Generali facienda.

Art. 122.

Ad expensas quod attinet quae pro ecclesia vel domo paroeciali aut quocumque alio titulo a paroeciis vel parochis fieri debent, hae statuuntur normae :

1º in pago Friburgensi servetur praeceptum legis ad normam art. 116 nº 1 ;

2º in pagis Genevensi, Valdensi et Novicastrensi quaecumque prohibentur expensae summam 1600 francorum excedentes, si agatur de urbibus, et 800 francorum si de paroeciis ruralibus, nisi antea licentia Nostra fuerit obtenta.

Art. 123.

§ 1. Omni studio curent parochi et ecclesiae rectores ut collectae per litteras Nostras praescriptae vel commendatae, fiant sive in ecclesiis sive per domos fidelium, itemque ut populus, dominica collectam praecedente, rite moneatur eiusque liberalitas excitetur.

§ 2. Collectam, in tota dioecesi praescriptam, omittere nemini licet.

§ 3. Reditus collectae in tota dioecesi praescriptae, transmittendi sunt integre operi in cujus favorem facta est, nulla prorsus retentione admissa.

Art. 124.

Districte prohibemus, ne cuiquam permittatur eleemosynas fidelium colligere, sive intra sive extra ecclesiam, pro erigendis vel restaurandis ecclesiis, pro Missionibus, orphanotrophiis aliisque operibus piis, nisi ille licentiam exhibuerit a Nobis scripto datam, uno anno non anteriorem. Attendant insuper parochi, utrum illis collectoribus *commendationem* dederimus an meram *permissionem*, et, hoc in casu, ad quodnam tempus fuerit data.

Art. 125.

Omnibus collectis a sacerdotibus vel laicis extraneis ad normam art. 124 factis, subtrahatur :

1º summa collectae ordinariae dierum dominicalium, quam parochus pro sua paroecia retinere potest ;

2º decima pars totius collectae [10 %] pro operibus dioecesis Ordinariatui transmittenda.

CONCLUSIO

His constitutionibus dioecesanis coronidem imponant illa S. Caroli Borromaei, Archiepiscopi Mediolanensis nostraeque patriae insignis benefactoris monita :

Haec omnia et singula, his monitionibus et statutis nominatim singulatimque expressa, vos omnes et singuli quorum interest, quanto potestis amore et pietate, non amplectamini solum et legite, sed mente animoque comprehendite, servate omnique sollicita executione praestate, totosque vos ad cohortationum, admonitionum, decretorum et constitutionum rationem accomodate.

At ipse Deus et Pater noster et Dominus Iesus Christus dirigat vias vestras in omni sancta obedientia, exhortetur corda vestra et confirmet in omni opere et sermone bono, ita ut digne ambuletis vocatione qua vocati estis, per omnia Ei placentes; sicque sanctis vestrarum virtutum progressionibus probati, appareatis ante Deum et Patrem nostrum in adventu Domini nostri Iesu Christi cum omnibus Sanctis ejus. (Epilog. in Pastor. Instruct.)

Omnis autem disciplina in praesenti quidem videtur non esse gaudii sed maeroris ; postea autem fructum pacatissimum exercitatis per eam reddet iustitiae. (HAEBR. XII. 11.)

APPENDIX

I

Professio Catholicae Fidei

Ego N. firma fide credo et profiteor omnia et singula, quae continentur in symbolo Fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet :

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum, filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum, ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri : per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de caelis. Et incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, et Homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis, sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in caelum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et Unam, Sanctam, Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas et ecclesiasticas traditiones, reliquasque eiusdem Ecclesiae observationes et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item sacram Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto ; nec eam unquam, nisi iuxta unanimem consensum Patrum, accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta novae Legis a Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matri-

monium; illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiae Catholicae ritus in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio et admitto.

Omnia et singula, quae de peccato originali et de iustificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium Sacrificium pro vivis et defunctis, atque in sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia Transsubstantiationem appellat. Fateor etiam, sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque Sacramentum sumi.

Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis iuvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias esse venerandas. Firmiter assero imagines Christi ac Deiparae semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo.

Sanctam, Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam, omnium ecclesiarum matrem et magistram agnosco, Romanoque Pontifici beati Petri Apostolorum Principis successori ac Iesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo ac juro.

Caetera item omnia a sacris Canonibus et Oecumenicis Conciliis, ac praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo, et ab Oecumenico Concilio Vaticano tradita, definita ac declarata, praesertim de Romani Pontificis primatu et infallibili magisterio, indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas, reiectas et anathematizatas, ego pariter damno, reiicio et anathematizo.

Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor et veraciter teneo, eandem integram et inviolatam usque ad extremum

vitae spiritum, constantissime, Deo adjuvante, retinere et confiteri, atque a meis subditis seu illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et praedicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem N. spondeo, voveo ac iuro. Sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

PROFESSION DE FOI

Moi, N. N., je crois fermement et je professe en général et en particulier tous les articles contenus dans le symbole de la Foi admis par la sainte Eglise romaine ; savoir :

1. Je crois en un seul Dieu, le Père tout-puissant, qui a fait le ciel et la terre, et toutes les choses visibles et invisibles ; et en un seul Seigneur Jésus-Christ, Fils unique de Dieu, né du Père avant tous les siècles, Dieu de Dieu, lumière de lumière, vrai Dieu de vrai Dieu ; qui a été engendré et non pas fait, consubstantiel au Père ; par qui tout a été fait ; qui est descendu des cieux pour nous, hommes, et pour notre salut, a pris chair de la Vierge Marie par l'opération du Saint-Esprit et s'est fait homme ; qui a été crucifié pour nous sous Ponce-Pilate, a souffert et a été enseveli ; qui est ressuscité le troisième jour, selon les Ecritures ; qui est monté au ciel, est assis à la droite du Père ; qui viendra de nouveau plein de gloire juger les vivants et les morts ; dont le règne n'aura point de fin. Je crois au Saint-Esprit, Seigneur et Vivificateur, qui procède du Père et du Fils, qui est adoré et glorifié conjointement avec le Père et le Fils, qui a parlé par les Prophètes. Je crois l'Eglise une, sainte, catholique et apostolique. Je confesse un seul baptême pour la rémission des péchés, et j'attends la résurrection des morts et la vie du siècle à venir. Ainsi soit-il.

2. J'accepte sans réserve les traditions des Apôtres et celles de l'Eglise, avec toutes les autres observances et constitutions de la même Eglise.

3. J'admets la sainte Ecriture selon le sens qu'a adopté et adopte notre sainte Mère l'Eglise à laquelle il appartient de juger du vrai sens et de l'interprétation des saints Livres, et je ne la recevrai ni interpréterai jamais que selon le consentement unanime des Pères.

4. Je professe qu'il y a sept Sacrements de la loi nouvelle, véritables et proprement dits, institués par Jésus-Christ Notre-Seigneur, et nécessaires au salut du genre humain, quoiqu'ils ne le soient pas tous à chaque homme

en particulier ; savoir : le Baptême, la Confirmation, l'Eucharistie, la Pénitence, l'Extrême-Onction, l'Ordre et le Mariage ; que ces Sacrements confèrent la grâce, et que parmi eux le Baptême, la Confirmation et l'Ordre ne peuvent être réitérés sans sacrilège. Je crois aussi et j'admets les cérémonies reçues et approuvées par l'Eglise catholique dans l'administration solennelle de tous ces Sacrements.

5. J'admets et je reçois tout ce qui a été défini et déclaré au saint Concile de Trente touchant le péché originel et la justification.

6. Je professe que, dans la sainte messe, on offre à Dieu un sacrifice véritable, proprement dit, propitiatoire pour les vivants et pour les morts ; que dans le très saint Sacrement de l'Eucharistie il y a vraiment, réellement et substantiellement le Corps, le Sang, l'Ame et la Divinité de Notre-Seigneur Jésus-Christ ; qu'il s'y fait un changement de toute la substance du pain au Corps et de toute la substance du vin au Sang, changement que l'Eglise catholique appelle *transsubstantiation.* Je confesse aussi que, même sous une seule des deux espèces, on reçoit Jésus-Christ tout entier, et un vrai sacrement.

7. Je tiens fidèlement qu'il existe un Purgatoire, et que les âmes qui y sont détenues sont soulagées par les suffrages des fidèles. Je tiens de même que les Saints qui règnent avec Jésus-Christ doivent être honorés et invoqués, qu'ils offrent à Dieu leurs prières pour nous, et que leurs Reliques doivent être vénérées.

8. Je crois que les images de Jésus-Christ, de la Mère de Dieu toujours Vierge et des autres Saints doivent être gardées, et qu'il faut leur rendre l'honneur et la vénération qui leur sont dus.

9. Je crois de même fermement que Jésus-Christ a laissé dans son Eglise le pouvoir d'accorder des Indulgences, et que l'usage en est très salutaire au peuple chrétien.

10. Je reconnais que la sainte Eglise catholique, apostolique et romaine, est mère et maîtresse de toutes les églises ; je promets et jure une vraie obéissance au Pape, successeur de saint Pierre, prince des Apôtres et vicaire de Jésus-Christ.

11. Je reçois de même sans aucun doute et je professe tous les autres points qui sont enseignés, définis et déclarés par les saints Canons et par les Conciles œcuméniques, principalement par le Concile de Trente, et par le Concile du Vatican, surtout touchant la primauté et le magistère infaillible du Pontife romain ; et en même temps je con-

damne, je rejette et anathématise tout ce qui leur est contraire et toutes les erreurs que l'Eglise a condamnées, rejetées et anathématisées.

Je veux, avec l'aide de Dieu, garder entière et intacte, et confesser constamment jusqu'au dernier soupir de ma vie cette vraie foi catholique, sans laquelle nul ne peut être sauvé s'il reste en dehors d'elle par sa faute, et dont en ce moment je fais librement et sincèrement profession ; je veux aussi, tant qu'il me sera possible, la faire garder, enseigner et prêcher par ceux sur qui j'ai autorité, ou dont le soin aura été confié à ma charge.

Moi, N. N., je le promets et je le jure. Que Dieu et ces saints Evangiles me soient en aide !

Glaubensbekenntnis.

Ich N. N. glaube mit fester Überzeugung und bekenne Alles und Jedes, was in dem Glaubensbekenntnisse, dessen sich die heilige römische Kirche bedient, enthalten ist, nämlich:

1. Ich glaube an Einen Gott, den allmächtigen Vater, Schöpfer des Himmels und der Erde, aller sichtbaren und unsichtbaren Dinge. Und an Einen Herrn Jesum Christum, den eingebornen Sohn Gottes, der aus dem Vater geboren ist von aller Ewigkeit, Gott von Gott, Licht vom Lichte, wahrer Gott vom wahren Gott; erzeugt, nicht erschaffen, Einer Wesenheit mit dem Vater; durch den alles gemacht worden ist; Der für uns Menschen und um unsers Heils willen vom Himmel herabgestiegen, und durch den Heiligen Geist aus Maria der Jungfrau Fleisch angenommen hat und Mensch geworden ist; Der auch für uns gekreuziget worden unter Pontius Pilatus, gelitten hat und begraben worden ist; Der am dritten Tage wieder auferstanden ist nach der Schrift, und in den Himmel aufgefahren, zur Rechten des Vaters sitzet, und mit Herrlichkeit wieder kommen wird, zu richten die Lebendigen und die Toten; Dessen Reich kein Ende haben wird. Ich glaube auch an den Heiligen Geist, den Herrn und Lebendigmacher, der vom Vater und vom Sohne ausgeht, der mit dem Vater und dem Sohne zugleich angebetet und verherrlichet wird, der durch die Propheten geredet hat. Ich glaube an die eine, heilige, katholische und apostolische Kirche. Ich bekenne Eine Taufe zur Vergebung der Sünden; und erwarte die Auferstehung der Toten, und ein zukünftiges ewiges Leben. Amen.

2. Ich nehme die apostolischen und kirchlichen Überlieferungen samt den übrigen Gebräuchen und Verordnungen der Kirche fest an.

3. Ebenso nehme ich die heilige Schrift nach dem Sinne an, den die heilige Mutter die Kirche, welcher es zusteht, über den wahren Sinn und die Auslegung der heiligen Schrift zu urteilen, festgehalten hat und noch festhält; und ich werde sie niemals anders als nach der einmütigen Übereinstimmung der Väter annehmen und auslegen.

4. Ich bekenne auch, daß es sieben wahre und eigentliche Sakramente des neuen Bundes gibt, die von Jesus Christus unserem Herrn eingesetzt, und zum Heile des menschlichen Geschlechtes, obwohl nicht alle jedem einzelnen, notwendig sind, nämlich die Taufe, die Firmung, das heilige Sakrament des Altars, die Buße, die letzte Ölung, die Priesterweihe und die Ehe: daß dieselben die Gnade erteilen, und daß aus diesen die Taufe, die Firmung und die Priesterweihe ohne Gottesraub nicht wiederholt werden können. Auch die bei der feierlichen Ausspendung aller obgenannten Sakramente eingeführten und gutgeheißenen Zeremonien der katholischen Kirche nehme ich an und billige sie.

5. Alles und jedes, was in dem heiligen Kirchenrat von Trient in betreff der Erbsünde und der Rechtfertigung entschieden und erklärt worden ist, heiße ich gut, und nehme ich an.

6. Ich bekenne gleichfalls, daß in der Messe Gott dem Herrn ein wahres, eigentliches und versöhnendes Opfer für die Lebenden und Abgestorbenen dargebracht wird; und daß im heiligsten Altarssakramente der Leib und das Blut zugleich mit der Seele und der Gottheit unsers Herrn Jesu Christi wahrhaft, wirklich und wesentlich zugegen ist; und daß die ganze Wesenheit des Brotes in den Leib und die ganze Wesenheit des Weines in das Blut verwandelt wird, welche Verwandlung die katholische Kirche Transsubstantiation, das heißt: Verwandlung einer Wesenheit in die andere, nennt. Auch bekenne ich, daß man auch unter nur Einer der beiden Gestalten Christum ganz und ungeteilt, und ein wahres Sakrament empfängt.

7. Ich glaube standhaft, daß es ein Fegfeuer gibt, und daß die darin aufgehaltenen Seelen durch die Fürbitte der Gläubigen Hilfe erhalten. Ebenso glaube ich, daß die Heiligen, welche mit Christus regieren, verehrt und angerufen werden sollen; daß sie Gott Gebete für uns darbringen, und daß ihre Reliquien in Ehren zu halten sind.

8. Ich nehme aufs festeste an, daß die Bilder Christi und der allzeit jungfräulichen Gottesgebärerin, wie auch der andern Heiligen zulässig und beizubehalten sind, und daß ihnen die gebührende Ehre und Verehrung zu erweisen sei.

9. Auch bekenne ich, daß Christus der Kirche die Gewalt

hinterlassen hat, Ablässe zu erteilen, und daß deren Gebrauch dem christlichen Volke sehr heilsam ist.

10. Ich anerkenne die heilige, katholische und apostolische römische Kirche als die Mutter und Lehrerin aller Kirchen, und gelobe und schwöre dem römischen Papste, dem Nachfolger des heiligen Apostelfürsten Petrus und dem Statthalter Jesu Christi, wahren Gehorsam.

11. Ebenso nehme ich unbezweifelt an und bekenne alles übrige, was durch die heiligen Kirchensatzungen und von den allgemeinen Kirchenversammlungen, besonders von dem heiligen Kirchenrat von Trient, und von dem allgemeinen vatikanischen Konzil, vorzüglich uber den Primat und das unfehlbare Lehramt des römischen Papstes, gelehrt, entschieden und erklärt worden ist; und zugleich verurteile, verwerfe und verabscheue ich alles, was diesem entgegen ist, nebst allen Irrlehren, die von der Kirche verurteilt, verworfen und verabscheut worden sind.

Diesen wahren katholischen Glauben, außer welchem niemand selig werden kann, den ich jetzt freiwillig und aufrichtig bekenne, will ich auch ganz und unverletzt bis zum letzten Hauche meines Lebens mit Gottes Hilfe aufs standhafteste bewahren und bekennen; und ich will, soviel an mir liegt, dafür sorgen, daß er von meinen Untergebenen oder denjenigen, deren Pflege mir in meinem Amte obliegen wird, bewahrt, gelehrt und verkündet werde.

Das verspreche, gelobe und schwöre ich N. N., so wahr mir Gott helfe und diese heiligen Evangelien.

II

Iuramentum antimodernisticum

Ego ....

firmiter amplector ac recipio omnia et singula, quae ab inerranti Ecclesiae magisterio definita, adserta ac declarata sunt, praesertim ea doctrinae capita, quae huius temporis erroribus directo adversantur. Ac primum quidem Deum, rerum omnium principium et finem, naturali rationis lumine per ea quae facta sunt, hoc est per *visibilia* creationis opera, tamquam causam per effectus, certo cognosci, adeoque demonstrari etiam posse, profiteor. Secundo : Externa revelationis argumenta, hoc est facta divina, in primisque miracula et prophetias admitto et agnosco tamquam signa

certissima divinitus ortae christianae Religionis, eademque teneo aetatum omnium atque hominum, etiam huius temporis, intelligentiae esse maxime accommodata. Tertio : Firma pariter fide credo, Ecclesiam, verbi revelati custodem et magistram, per ipsum verum atque historicum Christum, quum apud nos degeret, proxime ac directo institutam, eamdemque super Petrum, Apostolicae hierarchiae principem eiusque in aevum Successores aedificatam. Quarto : Fidei doctrinam ab Apostolis per orthodoxos Patres eodem sensu eademque semper sententia ad nos usque transmissam, sincere recipio ; ideoque prorsus reiicio haereticum commentum evolutionis dogmatum, ab uno in alium sensum transeuntium, diversum ab eo, quem prius habuit Ecclesia ; pariterque damno errorem omnem, quo, divino deposito, Christi Sponsae tradito, ab Eaque fideliter custodiendo, sufficitur philosophicum inventum, vel creatio humanae conscientiae, hominum conatu sensim efformatae et in posterum indefinito progressu perficiendae. Quinto : Certissime teneo ac sincere profiteor, Fidem non esse caecum sensum religionis e latebris *subconscientiae* erumpentem, sub pressione cordis et inflexionis voluntatis moraliter informatae, sed verum assensum intellectus veritati extrinsecus acceptae ex auditu, quo nempe, quae a Deo personali, creatore ac domino nostro dicta, testata et revelata sunt, vera esse credimus, propter Dei auctoritatem summe veracis.

Me etiam, qua par est reverentia, subiicio totoque animo adhaereo damnationibus, declarationibus, praescriptis omnibus, quae in Encyclicis litteris *Pascendi* [1] et in Decreto *Lamentabili* [2] continentur, praesertim circa eam quam historiam dogmatum vocant. — Item reprobo errorem affirmantium, propositam ab Ecclesia fidem posse historiae repugnare, et catholica dogmata, quo sensu nunc intelliguntur, cum verioribus christianae religionis originibus componi non posse. — Damno quoque ac reiicio eorum sententiam, qui dicunt christianum hominem eruditiorem induere personam duplicem, aliam credentis, aliam historici, quasi liceret historico ea retinere quae credentis fidei contradicant, aut praemissas adstruere, ex quibus consequatur dogmata esse aut falsa aut dubia, modo haec directo non denegentur. — Reprobo pariter eam Scripturae Sanctae diiudicandae atque interpretandae rationem, quae, Ecclesiae traditione, analogia Fidei, et Apostolicae Sedis normis posthabitis, *rationalistarum* commentis inhaeret, et criticen textus velut

[1] 8. Septembr. 1907, — [2] 3. Julii 1907.

unicam supremamque regulam, haud minus licenter quam temere amplectitur. — Sententiam praeterea illorum reiicio qui tenent, doctori disciplinae historicae theologicae tradendae, aut iis de rebus scribenti, seponendam prius esse opinionem ante conceptam sive de supernaturali origine catholicae traditionis, sive de promissa divinitus ope ad perennem conservationem uniuscuiusque revelati veri; deinde scripta Patrum singulorum interpretanda solis scientiae principiis, sacra qualibet auctoritate seclusa, eaque iudicii libertate, qua profana quaevis monumenta solent investigari. — In universum denique me alienissimum ab errore profiteor, quo *modernistae* tenent in sacra traditione nihil inesse divini; aut, quod longe deterius, pantheistico sensu illud admittunt; ita ut nihil iam restet nisi nudum factum et simplex, communibus historiae factis aequandum; hominum nempe sua industria, solertia, ingenio scholam a Christo eiusque Apostolis inchoatam per subsequentes aetates continuantium. Proinde fidem Patrum firmissime retineo et ad extremum vitae spiritum retinebo, de charismate *veritatis certo*, quod est, fuit eritque semper in *episcopatus ab Apostolis successione* [1]; non ut id teneatur quod melius et aptius videri possit secundum suam cuiusque aetatis culturam, sed ut *nunquam aliter credatur*, *nunquam aliter* intelligatur absoluta et immutabilis veritas ab initio per Apostolos praedicata [2].

Haec omnia spondeo me fideliter, integre sincereque servaturum et inviolabiliter custoditurum, nusquam ab iis sive in docendo sive quomodolibet verbis scriptisque deflectendo. Sic spondeo, sic iuro, sic me Deus adiuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

III

Iuramentum Decani electi

Ego N. promitto Deo omnipotenti et Beatae Mariae Virgini huius Dioecesis Patronae, quod Reverendissimo ac Celsissimo Domino Episcopo Lausannensi et Genevensi et illius successoribus canonice intrantibus, eorumque Vicario et Officiali pro tempore existentibus fidelis et obediens ero, eiusdem Reverendissimi Domini Episcopi, et ipsius ecclesiae commoda promovebo et damna avertam, atque officium ad quod electus sum, fideliter exercebo. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.

[1] S. Irenaeus, *Adv. Haer.*, IV, c. XXVI. — [2] *Prascr.*, c. XXVIII.

IV

Iuramentum investiendorum Clericorum

Ego N. Reverendissimo ac Celsissimo Domino Episcopo Lausannensi et Genevensi, eiusque Vicario et Officiali pro tempore existentibus fidelis ero, et mandatis eorum obediam ac ea reverenter exsequar ; a beneficio, ad quod institui peto, sine licentia et consensu Episcopi aut eius Vicarii non discedam ; res, reditus, bona et iura omnia ecclesiae et beneficii, necnon calices, libros et alia ornamenta ac utensilia ad illud spectantia non alienabo, sed conservabo et defendam, et si forte ablata vel alio quocumque modo alienata fuerint, summis viribus recuperare studebo. Sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia.

Moi N., je promets fidélité à S. G. Monseigneur l'Evêque de Lausanne et Genève, ainsi qu'à son Vicaire général et Official ; je recevrai leurs ordres avec respect et les exécuterai ponctuellement ; sans leur permission et consentement, je ne quitterai pas le bénéfice pour lequel je demande l'institution canonique. Je n'aliénerai pas les propriétés, revenus, biens et tous les autres droits de l'église et du bénéfice, de même que les calices, livres, ornements ou meubles de prix ; au contraire, je les conserverai et sauvegarderai avec soin ; et s'ils avaient été illicitement ou enlevés ou aliénés, je ferai tous mes efforts pour les récupérer. Ainsi Dieu me soit en aide et ces saints Evangiles.

Ich N. gelobe, dem Hochwürdigsten Bischof von Lausanne und Genf, wie auch seinem Generalvikar und Official treu zu sein, und ihre Befehle ehrerbietig anzunehmen und pünktlich zu vollziehen. Ich werde die Pfründe, in die ich eingesetzt zu werden begehre, ohne Erlaubnis und Einwilligung des Bischofs oder seines Generalvikars nicht verlassen; ich werde das Vermögen, die Einkünfte und alle Güter und Rechte der Kirche und der Pfründe, wie auch die Kelche, Bücher, Zieraten und alle ihre Gerätschaften nicht veräußern, sondern bewahren und beschützen; und sollten sie etwa widerrechtlich entwendet oder veräußert worden sein, so werde ich mir alle Mühe geben, sie wieder zu erwerben. So wahr mir Gott helfe und diese heiligen Evangelien.

V

De modo agendi cum Acatholicis
ad Ecclesiam redeuntibus

1

De praeambula inquisitione

Priusquam aliquis de religione catholica erudiendus et ad Ecclesiam reducendus accipiatur, de eius statu inquisitio fiat accurata.

Investigandum est quaenam sint personae convertendae nomen, patria, domicilium, scientia, educatio, mores, sensus religiosi, etc. ?

An convertendus sit aetatis iuxta leges civiles maioris vel saltem sufficientis ut religionem eligere queat ? (Vide Codicem civilem helveticum art. 14 et 277.)

An propositum abiurandi a convertendi parentibus cognoscatur et quaenam sit istorum parentum indoles ?

An abiuraturus sit caelebs, matrimonio valide vel invalide ligatus, viduus vel a conjuge divortio civili separatus, etc. ?

Quonam motivo ad Ecclesiam alliciatur convertendus ? trahiturne sincera persuasione, Ecclesiam catholicam esse veram et unicam Christi Ecclesiam, an aliis incitamentis quibus Providentia divina quandoque utitur ad inspirandos primos motus in via ad fidem, ut sunt ars religiosa, splendor liturgiae, etc. ?

An serio sperandum sit candidatum non tantum in fidei veritatibus credendis sed etiam in observandis Ecclesiae legibus esse perseveraturum ?

Ex hac inquisitione apparebit clarius quomodo sese gerere debeat sacerdos.

Decursu tandem ipsius instructionis religiosae, inquirendum est de existentia et de validitate baptismi a candidato recepti.

2

De convertendi institutione religiosa

Religiosam convertendorum institutionem curare debet ipsemet parochus proprius vel alius sacerdos idoneus ab ipso parocho designatus ; nunquam vero hoc laïco committatur munus.

Salvis rarissimis exceptionibus, catholicae doctrinae traditio ad quatuor **saltem** menses protendatur, lectione unius horae bis in hebdomade facta. Aliqua suadenda est mora ut maturiorem ad rem convertendus animum attendat et de eius perseverantia iudicari possit. Etenim non tantum scientia theologica informanda est intelligentia, sed et voluntas persuadenda et ad virtutes christianas disponenda.

Universus dioecesanus catechismus exponatur et ad convertendi captum explanetur. Pluribus verbis commorandum est in quaestionibus acrius agitatis catholicos inter et haereticos.

